

EXERCITATIO LOGICA  
PRIOR,  
De  
**PROPOSITIONI-  
BUS EXHIBITIVIS**

Quam  
*Consensu Amplissimi Philosophorum Ordinis*  
Publicæ Eruditorum Disquisitioni  
submitunt

PRÆSES  
**M. GEORGIUS SIGISM.  
GREENIUS,**  
Dresdenfis

ET  
RESPONDENS  
**DANIEL HOPPIUS,**  
Brüccensis Saxo.

A. O. R. M DC XCVI. d. XI. Nov.

*In Auditorio Veteri.*

VITEMBERGAE,  
Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.

75.  
a. XLIII. 35

Coll. diss. A  
43, 35

23

74



V I R O  
ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO ATQVE  
CONSULTISSIMO, DOMINO,  
DN. IOANNI  
ABRAHAMO  
BIRNBAUM,  
ICTO INCOMPARABILI,  
POTENTISS. ELECT. SAX,  
INTIMÆ ADMISSIONIS  
CONSILIARIO,

DOMINO SUO GRATIOSO, PA-  
TRONO MAXIMO, PROMOTORI  
SUMMO,

QVICQVID HOC EST TUMULTUARIE SCRIPTIONIS,  
SACRUM ESSE CUPIT

M. GEORG. SIGISM. GREENIUS,  
DRESDENSIS.







§. 1.



**D**E Propositionibus Exhibitivis commentari nonnihil, apud animum deliberatum est. Quod argumentum, etsi a Theologis potissimum pertractatum fuerit, pauloque rarius in Dialecticorum libellis excussum; minime tamen me fugit, a præstantissimis Philosophis Naturam illarum Propositionum recte solideque explicatam, illud vero, quod sacrum & sublimius est, ad Theologorum scholas remissum fuisse. Quod enim paulo segnius hanc partem attigere Dialecticorum Magistri, illam potissimum rationem reddi posse existimo, quia plurimi eo suam contulerunt industriam, ut Aristotelis Logicam interpretarentur. Hunc autem Philosophum constat, de Singularium, & illarum, quas Inusitatas vocare solent, Propositionum natura, nec præceptum dedisse, nec ullum, quod sequaris, vestigium reliquisse. Itaque cum in Lectionibus ad Kœnigium Theologicis solide nos instruxerit Excellentissimus Dn. D. Neumannus, Patronus & Præceptor ætatem Venerandus, seduloque monuerit, ut indolem harum Propositionum a Dialecticis requirere debeamus; visum est in præsentem, intra hosce limites consistere, nec in Sanctius Forum, quod controversias circa hoc argumentum exortas definit, temerario quodam ausu transilire.

§. 2. Quod si vero scisciteris, in qua Dialectices parte de his Enuntiationibus præcipiatur, Recentiores eqvidem, quos imitor, Philosophi, & præsertim qui ex Nostratibus Orthodoxis libellos Logicos publicis literis describunt, uti Propositionem Singularem exacte & accurate tradunt, ita in iis quoque abditæ hu-



jus & retrusæ materiæ de Exhibitiva Propositione fundamen-  
 ta perspicue explicare allaborant. Et quidem Propositionem  
 Singularem, quam in oppositione ad Universalem, Par-  
 ticularem & Indefinitam acceptam communiter appellant,  
 in qua de re singulari aliquid prædicatur, divisam cupiunt in  
 Singularem specialiter sive κατ' ἐξοχήν sic dictam, Demonstrati-  
 vam & Vagam. Ex quibus Demonstrativam saltem definire  
 hic libet, quæ ad nostrum Institutum apprime facit. Est autem  
 ea, quæ subjectum singulare Pronomine demonstrativo effert.  
 Hujus Propositionis duas peculiare constituunt species Phi-  
 losophi, & in Simplicem & Complexam distinguunt. Qua-  
 rum quidem illa describitur, quod sit, cujus subjectum singu-  
 lare Pronomine demonstrativo significatum res simplex est.  
 Complexam autem, quam alteram Propositionis Demonstrativæ  
 faciunt speciem, eandem cum nostra Exhibitiva esse, ex defini-  
 tione paulo inferius adducenda magis patebit. *Vid. B. Donati  
 de Prop. Sacr. Art. 9. Aph. 1. obs. 5. 6. Hoepfnerus in Vet. Log. p. 558.  
 Scharfius Instit. Log. lib. 2. cap. 4. p. 343. Man. Log. p. 421.*

§. 3. Ex dictis igitur abunde constat, quo loco Propositiones  
 Exhibitivæ seu Complexæ veniant considerandæ, quorum exem-  
 pla in vulgato sermone passim occurrunt. Atque adeo earum  
 Tractationem minus commode in Logicis instituendam, qua  
 ratione quis affirmet, haud facile video. Quod si enim res cer-  
 ta omnino est, minimeque dubia, Inusitatarum Propositionum  
 considerationem spectare ad Logicam directe, cum Propositio-  
 nes Logicæ sint, & modum prædicandi habeant Paronymicum;  
 quid vetat, quo minus & de Exhibitivis, in hac disciplina agatur,  
 quas usitatas appellare nulli dubitamus? Ubi cum directam In-  
 usitatis Propositionibus in Logica adscribo tractationem, pæce  
 illorum id dixerim, qui Logicum agere dicunt de Propositioni-  
 bus Inusitatis, non κατὰ θέσιν, sed κατ' ἀνάγκην, eas non propo-  
 nendo ut usitatas, sed seponendo ut irregulares, atque adeo ex  
 communi classe eximendo, & ut inusitatas illustrando, sicut de  
 Non-Ente Metaphysicus, & de Vacuo Physicus docet. Cum quo  
 facit Henr. Velstenius, qui ita differit: Agitur de hujusmodi  
 Propositionibus in Logica non κατὰ σκευαστικῶς sed ἀνασκευαστι-  
 κῶς,



ut videlicet eas ab usitatis distingvamus, in Foro Logico alienas esse ostendamus, & ad Theologiam amandemus. Cum vero Inusitatae Propositiones sint orationes, quibus aliquid esse exprimitur vel significatur, consistunt ex subiecto, praedicto & copula, denique & Simples Affirmativae, Singulares, Propriae & Paronymicae sint, ac proinde pro Logicis Propositionibus habendae, directe potius eas in Logica proponi affirmo, ita tamen, ut in eadem illae considerentur non vel ratione sensus, vel ratione veritatis atque fundamenti, sed ratione suae formae tantum; Nam de sensu quidem ac veritate earum tradere solius Theologi est. Quae cum ita de Propositionibus Inusitatis se habeant, multo magis de Usitatis Propositionibus Exhibitivis illud mihi erit concedendum. *Vid. Meisnerus Phil. Sobr. P. 1. p. m. 161. Velstenius Qv. Phil. Cent. II. Dec. 9. qv. 4. B. Donati, Prop. Sacr. Art. 8. Aph. 7. obs. 1. Rappoltus de Predicatione disp. 1 §. 27. disp. 2. §. 24 25. 26.*

§. 4. Exhibitivae trito admodum vocabulo dicuntur, quia conjunctam Unitorum exhibitionem significant, uti Meisnerus interpretatur; vel uti Scharfius, quod exhibeant aliquam rem contentam seu unitam: aut potius ab actu exhibitionis, quia utimur istiusmodi Propositionibus, quando mediante re visibili simul rem minus conspicuam atque nobiliorem alteri exhibemus; vel etiam, quia subiectum earum Pronomine Demonstrativo expressum, exhibet sub re visibili, rem minus visibilem ac principaliorem isti unitam. Parum tamen hic interesse existimaverim, an Complexum monstratum simul detur & exhibeatur, an vero saltem ostendatur. Nemo enim in tanta rerum ignoratione facile versabitur, ut neget, Exhibitivam eam esse, si quis monstrata alteri crumena auri plena dixerit: Hoc est aurum, licet illud ipsi non dederit atque exhibuerit; aut si quis monstrato spectro affirmarit: Hoc est daemon; cujus exhibitionem tantum abest, ut quis sanae mentis homo expetat, quin potius ipsum quoque aspectum fugiat & detestetur. Nec minus illa appellandi consuetudo apud Philosophos est recepta, qua ejusmodi Propositiones partim Demonstrativae, partim Demonstrativae Complexae vocantur. Demonstrativae quidem ob Pronomen Demonstrativum, quod in iis subiecti vicem semper obtinet, & rem



quandam demonstrari, & digito quasi ostendi indicat. Demonstrativa autem Complexæ cur appellentur, ratio est in promptu, quam Scharfius noster, ut solet alias, accurate docet: Dicuntur Demonstrativa Complexæ, quia in illis Prædicatum dicitur de integro complexo, licet verificetur secundum principalem partem illius complexi. Sic de sacco, in quo avena est, communiter dicitur: *Hoc est avena*, ibi particula *Hoc* denotat in subiecto duas res copulatas, saccum nempe & avenam, in Prædicato autem tantummodo principale unitum, scilicet præcipua pars illius complexi, quod est in subiecto, exprimitur. Easdem, Bellarminus Propositiones de re continente & contenta nominat. *Vid. Meisnerus Phil. Sobr. P. 1. p. m. 172. Scharfius Inst. Log. p. 345. Hundeshagen Tr. Log. Exerc. 3. §. 4. Saurius Synt. Log. p. 267.* & qui in hac doctrina suppresso nomine eum ad verbum exscripsit, Jo. Jac. Stubelius *annot. ad Man. Scharf. p. 369. Bellarminus lib. 3. de Eucb. c. 19.*

§. 5. Novum ipsis nomen imposuit B. Lutherus, & Synecdochicas dixit, cujus impositionis rationem, cum perspectam non haberent Calvinio addicti, magnam exinde Nostratibus Theologis movebant litem, & hac nova Lutheri cognominatione tropum in Propositionem Sacramentalem, *Hoc est corpus meum*, inferri, omnibus modis adstruere conabantur. Sed cum hæc altioris indaginis res, & a Theologis dirimenda controversia sit, *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος* committere nolumus; interim Adversariorum argumenta scire qui desiderat, explosa eadem & discussa inveniet in Buscheri Philosophicis, quos de ratione solvendi sophismata inscripsit, libris. Illud saltem hic ut accurate notetur velim, duplici modo Propositionem quandam dici Synecdochicam, in sensu vel Rhetorico vel Grammatico. Priori modo si accipiatur, Prædicatio Synecdochica, omnino tropum admittit talem, quo vox a nativa significatione mutatur in alienam. Posterior autem, cum vocabulum *συνεκδοχή* natales suos Græciæ vindicet, & ad verbum sonet comprehensionem, eadem est, quæ comprehensiva, vel duarum rerum conjunctarum simulque comprehensarum significativa, quia in subiecto est Synecdoche, i. e. complexio seu comprehensio duarum rerum

rum



rum conjunctarum feu contentarum, quarum altera tantum, eaque minus apparens in prædicato exprimitur. Eam autem Luthero nostro esse mentem, & hunc loqvendi modum Grammatico sensu intelligendum esse, si nullo alio argumento, hoc tamen confirmari possit, quod pro ipsius Synecdoche familiaris omnium lingvarum usus pugnet. Est enim omnibus lingvis usu frequentatum, ut cum duo quædam conjuncta porriguntur, simul subjecti loco ponatur totum complexum quod duobus illis constat, & in prædicato nominetur non id, quod est minus præcipuum, sed quod magis est principale, & a sensibus remotius. Cujus rei multa adfert Lutherus e communi loqvendi consuetudine exempla, quæ apud illum videri possunt. *Vid. Buscherus de rat. solv. Sopb. lib. 1. cap. 11. p. 61. Rhenius Log. Peripat. p. 168. Hoepfnerus in Vet. Log. p. 556. Eckardtus Fasc. contr. Tb. p. 515. Scharffius Inst. Log. p. 346. Saurius Synt. Log. p. 267.*

§. 6. Hactenus vim & significationem nominis indicavimus satis; jam quo longius progredimur, ipsam quoque Propositionum Exhibitivarum Essentiam indagaturi, majores sese nobis offerunt difficultates. Cum enim cognoscendi causa definitio tradatur, & proinde recte moneat Aristoteles, ut is, qui definit, maxime omnium clarissima interpretatione utatur; illud in mentem venit mirari, quod plerique Summi Viri, qui has Propositiones ceteroquin satis accurate explicant, hoc Sapientis monitum neglexerint, & adeo minus perspicua definitione doctrinæ tam intricatæ majorem caliginem offuderint. Omnium tamen optime, & verbis admodum perspicuis propriisque, rem expedivit Jo. Rhenius, Vir in his scholis exercitissimus, qui ita eam definit: *Propositio Exhibitiva est Propositio Singularis, qua duabus rebus inter se copulatis, in Subjecto ponitur Demonstrativum HOC, utramque rem copulatam denotans, & in Prædicato exprimitur tantum pars principalis, & minus obvia sensui. Qua in definitione cum acutissimus Philosophus, B. Meisnerus acquiescat, & nos eidem lubentes subscribimus. Hæc vero definitio, uti per genus & differentiam specificam, essentiam harum Propositionum quam rectissime exponit, & nec latior nec angustior suo est definito, sed cum eo recipro-*

cipro-



ciprocarī potest; ita præ reliquis majori cum facilitate singulis exemplis ad hanc Propositionem spectantibus poterit applicari. Sit exemplum ex communi vita peti- tum. Si quis porre- cto cantharo dicat. Hoc est vinum, hoc est cerevisia, is Pro- positione utitur Exhibitiva. Sunt enim duæ res inter se copu- lata, cantharus & vinum, sive cerevisia, quas dum exhibiturus est alteri, pronomen demonstrativum Hoc loco subjecti ponit, quo utramque rem copulatam, cantharum & vinum, denotat, in prædicato autem tantum partem principalem, nempe vinum, exprimit, utpote quæ minus sensui obvia, aut oculis alterius exposita erat. Similis ratio in reliquis locum habet. *Vid. Rhe- nius Log. Perip. p. 168.*

§. 7. Recte autem in adducta definitione Propositio Sin- gularis audit, cum de subjecto singulari sit, & de eo aliquid effert pronomine demonstrativo, quod quidem & cum propo- sitione Demonstrativa Singulari Simplicī commune habet: in hoc autem ab ea omnino differt, quod in Demonstrativa Sim- plici subjectum singulare pronomine Demonstrativo Significa- tum, res simplex est, uti exemplis, Ego loquor, Tu scribis, hic est studiosus, hoc sidus est oculus tauri, aliisve proba- tur. In hac nostra vero Exhibitiva, seu ut alii appellant, Demon- strativa Complexa, subjectum singulare, quod pronomine de- monstrativo exprimitur, aliquid complexi est ex duabus rebus, unione quadam copulatis, de quo tantum unitum principale prædicatur. Ut proinde evictum plane sit, duas res inter se unione quadam conjunctas, ad prædicationem Exhibitivam constituendam requiri, si vera & legitima haberi debeat. Quod si enim vacuo ostenso vitro dixerit aliquis, esse vinum Rhe- nense, falsa ipsum loqui omnes affirmabunt, si vero alterum monstraverit vino plenum, & vinum esse dixerit, vera nuntia- bit. Harum autem unitarum rerum altera principalis est, quæ cum non sit ita sensibus obvia, in prædicato nominatur expref- se; altera vero, quæ minus principalis est, una cum principali involvitur pronomine Demonstrativo, & ea saltem ratione sub eo continetur, ut sit organum seu medium exhibitionis, quo me- diante alterum exhibetur. *Vid. B. Donati Prop. Sacr. Art. 9. Aph. 1. Obs. 6.*

§. 8. Quæ



§. 8. Quæ duæ res aliquo modo inter se unitæ, ut in Exhibitivis Prædicationibus possint indicari, subjectiloco ponimus pronomen demonstrativum HOC, quod utramque rem copulatam denotat. Et hic proinde accurate observandus Philosophorum canon, quem de requisito hujus pronominis in Exhibitivis propositionibus tradunt. *In taliter Exhibitivis Enuntiationibus ipsum complexum subjectum materialiter & implicite, non formaliter est sumendum.* Hæc B. Hoepfneri regula est, quam, ut eo facilius percipi queat, clarius alibi exponit: In locutionibus Exhibitivis subjectum complexum habentibus, pronomen demonstrativum materialiter, implicite & indefinite significat duarum rerum conjunctionem, vel unionem, ita ut res principalis, propter quam fit exhibitio ista, in prædicato formaliter, explicite, & definite enuntietur. Sensus Excellentissimi Viri in allegatis hic est: Particulam hanc *δεικτικὴν & συμπεπλεγμένην* non unum tantum ex his unitis nude & solitarie demonstrare, ex quo absurdæ emergerent Paraphrases, *sacculus est avena, poculum est Vinum, cune sunt infans, vas est Cerevisia*; Sed totum potius complexum, sive utriusque rei conjunctionem vel unionem significare, licet implicite & indefinite, ita tamen ut non solum demonstret, sed rem ipsam quoque, quam demonstrat, significet, quamvis non distincte, sed sub communi tantum ratione, ut cum dico: *Hoc est argentum, Hoc est avena*, ubi pronomen hoc non solum demonstrat, sed etiam rem, quæ formaliter, explicite, & definite in prædicato exprimitur, confuse significat, & idem est, ac Hoc ens, hæc res. Quod si vero scire velim, quænam distincte sit res illa, quæ per pronomen Hoc materialiter saltem, implicite & indefinite significatur, ad Prædicatum Propositionis confugiendum erit, & ex eo id cognoscendum, in quo formaliter, explicite & definite illud enuntiat, quod confuse per Pronomen Hoc hæctenus erat indicatum; id quod vel hoc exemplo declarari poterit, cum monstrato dolio, in quo est vinum, affirmo, *Hoc est Vinum*, Prædicatum, *nempe Vinum*, distincte significat, quod Pronomen Hoc confuse indicarat. Vid. Hoepfnerus in *Vet. Log. p. 557. Isag. ad S. Coen. us, Tr. Pr. p. 337.*

B

Meisne-



§. 9. Operæ pretium hic me facturum existimo, si naturam & indolem Pronominis demonstrativi penitus inquiram, & quæ ipsi propria significandi vis adscribenda sit, exponam. Dicendum autem quod res est, & ad oculum demonstrandum, ne adversis partibus addicti, qui in voce Hoc tropum comminiscuntur, habeant, quod pro eo adstruendo urgere possint. Consistit igitur Pronominis Hoc vis propria significandi, quam ex impositione & communi sermonis usu obtinet, in eo, ut sit signum vocale, quod indicet, demonstrationem alicujus rei singularis fieri, & virtute demonstrationis contrahat terminum communem, cui additur ad standum pro uno determinato, ut *Verforius* loquitur. Quæ & causa est, quod τὸ Hoc in alicujus rei demonstratione absolute & simpliciter pronuntiatum, & proprie, inque nativa sua significatione usurpatum, vi Demonstrationis formaliter denotet Hoc singulare demonstratum. Quæ propter τὸ Hoc vi vocis ac impositionis suæ ad nullum singulare demonstrandum determinate restringitur, sed ex se & sua natura aptum est, ut ad hoc vel istud vel illud applicari possit, v. g. *bunc lapidem, hoc signum, hunc equum.* Quæ cum ita se habeant, graviter mihi lapsus videtur *Jansenius*, qui cum *Cajetano* Pronomen Hoc tam angustis limitibus circumscribit, ut saltem ad substantias restringi velit, & illud intendat, propriam vim Pronominis Hoc esse eam, ut substantiam demonstraret, cum sit demonstrativum substantiæ. In qua tamen Hypothesi non constare sibi videtur *Jansenius*, cum ipse non diffiteatur, propriam vim ipsius esse, ut demonstraret indeterminate, hoc est, ita ut conceptus non determinetur vel ad substantiam hujus, vel ad substantiam alterius rei, in Propositione Exhibitiva contentæ, sed in genere & confuse tantum concipiat substantiam quandam individuum. Rectius vero sentit, propiusque ad nostram accedit sententiam *Franciscus Svaretius*, qui affirmat, τὸ Hoc consideratum per se, ut est terminus quidam simplex, vi vocis posse designare, vel solum accidens, vel solam substantiam, vel compositum ex utroque, a cujus mente

NOB



non longe abit Verforius, dum τὸ Hoc omne Ens demonstra-  
re posse existimat. Quod si vero eorum admittenda esset sen-  
tentia, qui saltem ad substantias demonstrandas Pronomen Hoc  
reducunt, magnum exinde necessario sequeretur absurdum,  
& illæ Propositiones Exhibitivæ, cum monstrata crumena auro  
referta dico: *Hoc est aurum*, & monstrato dolio vini pleno  
pronuntio: *Hoc est vinum*, similesque, abluerent a vero, &  
falsæ evaderent; siquidem dictarum Propositionum hic foret  
sensus: *Hæc crumena & aurum sunt aurum, Hoc dolium  
& vinum sunt vinum*, quo sensu has Propositiones falsas esse,  
nec ipsi adversarii inficias ibunt. Cum vero absolum sit, eas  
Propositiones appellare falsas, quæ in communi loquendi usu,  
ab omnibus pro veris & admittuntur & usurpantur; illud relin-  
quatur, durius ab iis dici, qui vocabulum Hoc nudam rei præ-  
sentis substantiam demonstrare defendunt. *Vid. Hundeshagen  
Tr. Log. disp. 3. §. 9. 15. Verforius in sum. Petr. Hisp. tr. 1. p. 34. Ca-  
jetanus in 3. q. 75. Svarez. in 3. tom. 3. disp. 58. sect. 7. p. 714.*

§. 10. Multo minus iis aliquid concedendum erit, qui de Pro-  
nomine Demonstrativo hanc nobis exhibent regulam: Quando  
duæ substantiæ sunt simul in eodem loco, quarum una videtur  
per propria accidentia, quæ ipsi inhærent, & altera est invisibi-  
lis & latens, tunc, qui demonstrat contentum sub accidentibus,  
non designat substantiam invisibilem & latentem, sed substan-  
tiam, cui illa accidentia inhærent, præsertim si proprie loquatur  
& non figurate. Quibus vel illud saltem opponendum est, pu-  
gnare hanc regulam cum usu loquendi communi. Si quis e-  
nim monstrato dolio & ejus accidentibus dicat: *Hoc est vinum*,  
non peccaret quicquam aut absone loqueretur, cum illa tamen  
accidentia, quæ oculis objiciuntur, non vino, sed dolio in hæ-  
reant, & nihilominus τὸ Hoc, ibi substantiam complexam &  
latentem, nempe *vinum* denotet. Quod cum ipsi perspectum  
habeant adversarii, & aliam elabendi rimam non habeant,  
ad tropos confugiunt, & eam Propositionem, si quis mon-  
strato dolio vini pleno dicat: *Hoc est vinum*, Figuratam & Tro-  
picam esse contendunt, ut in Pronomine Hoc subjecti loco po-  
sito tropus quærendus sit, & designetur continens pro contento.



Sed in vado res est, & quid iis respondeam, habeo. Cum enim Pronomen Hoc non sit ex vocibus Categorematicis, quæ determinatam certæ rei significationem habent, sed tantum Syncategorematicis, seu Connotativis, tropus in eo locum non habet. Quod cum recta secum reputaret via Keckermannus, in vocabulis connotativis non dari tropum, hoc argumento adductus fuit, ut suam in Logis traditam sententiam in Systemate Theologico revocaret, & copulam EST quoque a tropo liberam pronuntiaret, ut pote qui locum habeat, in vocibus Categorematicis, i. e. talibus, quæ certam rem per se significant, non autem in vocabulis connotativis. Ea vero Tropi natura & definitio est, ut vocem a propria & nativa significatione mutet in alienam, uti tradunt Libelli Rhetorici. Sed τὸ Hoc in nulla Exhibitiva mutatur a propria & nativa significatione in alienam, quin potius vi propriæ significationis in demonstratione alicujus rei adhibitum denotat hoc singulare demonstratum, quam significationem in Exhibitivis constanter retinet, & proinde tropum minime admittit. Quæ de re Gregorius de Valentia, Suarez, Tannerus, Vafqvius & alii ex illorum Scholis complures uno ore mecum consentiunt, & ambabus, quod dicitur, manibus largiuntur, τὸ Hoc in ejusmodi Propositionibus proprie denotare rem contentam. Qui vero Metonymiam continentis pro contento hic quærunt, vel ipsam Tropi indolem non intelligunt, vel nativam demonstrativæ Particulæ significationem non assequuntur. Habet scilicet tunc demum locum talis Metonymia, quando vox aliquam rem continentem proprie & vi vocis determinate denotans ad significandum rem contentam, e. g. cum dico, *Testis est Italia, omnium disciplinarum inventrices sunt Athene.* Si igitur in Propositionibus Exhibitivis τὸ Hoc tropice & per Metonymiam accipiendum erit, illud sequatur necesse est, ut vi vocis & impositionis suæ rem continentem significet determinate; id quod contra naturam hujus Pronominis est, quippe quod ex se & vi vocis restrictum & determinatum non est ad hoc vel illud demonstrandum, quando tamen in demonstratione adhibetur, beneficio Demonstrationis ad hoc determinatum singulare indicandum restringitur, in  
quod



quod scilicet demonstratio ipsa dirigitur, & id circo loco termini non communis, sed singularis stare assolet, nec Propositionem indefinitam sed singularem efficit, si nempe determinet totum Subjectum, vel ponatur ipsum absolute loco subjecti. Hæc Cl. Hundeshagen mens est, qui his ita se habentibus, rectius dici arbitratur, τὸ Hoc tam importare Hoc singulare demonstratum, quam nude singulare demonstratum, quo indicetur, illud certum & determinatum singulare inferre, idque non distincte, sed confuse, atque indeterminate sub ratione singularis demonstrati denotare. *Vid. Hundeshagen Tr. Log. Disp. 3. §. 10. 11. Becanus Man. Controv. 1. 2. cap. 3. Danhauerus Id. Bon. Int. p. 116. Donati Prop. Sacr. Art. 9. Apb. 3. §. 1. Keckermannus Syst. Tb. p. 4+5.*

§. 11. Sed acrius instat Bellarminus, & ex alio quodam capite nobis reclamat. Equidem rei veritate, & exemplorum a B. Luthero & Chemnitio adductorum evidentia convictus, nobis concedit, in Propositionibus Exhibitivis, vel ut ipse loquitur, de re continente & contenta, Pronomen Hoc posse quidem demonstrare alterutrum, i. e. tam rem continentem quam contentam; At, cum demonstratur res contenta, pergit, demonstratur una res tantum, & excluduntur omnes aliæ, quæ ibi contineri possent & proinde ex modo communi loqvendi falsa est demonstratio, si plura contineantur. Rem illustrat allatis exemplis, de dolio, in quo vinum & oleum contineatur, de marsupio pleno partim auro partim argento, de sacco pleno partim tritico, partim avena, de quibus si quis dicat. *HOC est Vinum, HOC est Aurum, HOC est triticum*, eum pro deceptore habendum esse. Illas enim Propositiones ex modo communi loqvendi significare, *in hoc dolio, marsupio, sacco, nihil esse nisi vinum, aurum, triticum*, quas tamen res ipsa falsitatis satis arguat. Sed ejus dicta refutat Cl. Hundeshagen / firmisque rationibus demonstrat, hanc Bellarmini de Pronomine Demonstrativo sententiam solide probari non posse, cum vel dubium adhuc suboriri queat, utrum ille, qui de dolio in quo vinum & oleum sit, dicat, *Hoc est vinum*, semper & absolute deceptor jure haberi possit, cum vel quotidiana experientia testetur, si pauxillum olei vino admistum sit, quod nullus hominum secundum communem loqvendi usum



eum fraudis accuset. Disputat deinceps ex concessis, si pro circumstantiarum ratione talismodi homo jure fraudator & deceptor censeatur, cum nempe oleum in tanta copia vino sit admistum, ut plane corrumpatur, aut vasculum olei subdole sub vino pretiosiori occultatum fuerit, tunc fraudatorem ex eo nominari, quod ille cum vinum oleo infuso sit corruptum, falso rem contentam, & per τὸ Hoc demonstratam Vinum appellet, cum Vinum non sit, sed κέραμα quoddam, quod vini naturam & nomen jam dudum deperdidit. Inde autem fraus enascitur, si quis absolute quærenti quid in dolio contineatur, respondeat: *Hoc est vinum*, verba ejus ex communi loquendi usu intelliguntur, ac si non exigua tantum rei contentæ pars, sed ipsa tota sit, aut saltem communiter denominetur Vinum. De reliquis idem ferendum judicium. Neque omittenda instantia est, qua supra memoratus Vir sensum Exhibitivarum Propositionum a Bellarmino ipsis affectum accurate infringit, penitusque explodit. Si quis enim monstrato Cantharo vini pleno, cui frustum panis innatet, vel monstrato dolio vini aqua diluti pleno dicat. *Hoc est vinum*, nemo certe has Propositiones falsas proclamabit. Ut fictum proinde sit, quod ait Bellarminus, in tali casu, cum demonstratur res contenta, per Pronomen Hoc demonstrari unam rem contentam, & excludi omnes alias. Quo concessio, omnino talem haberent sensum, qualem intendit Bellarminus, scilicet: *in hoc dolio, in hoc cantharo, nihil est nisi vinum*, & propterea in rigore essent falsissimæ, cum in dolio sint simul feces, sit aqua, qua vinum dilutum fuit; in cantharo præter vinum etiam panis. Jam quia illæ Propositiones ex communi loquendi modo falsæ non sunt, sequitur vanum esse commentum Bellarmini, juxta quod omnino talem admitterent sensum, quo veris minime possent accenseri. *Vid. Hundeshagen Tr. Log. disp. 3. §. 13. Bellarminus lib. 3. de Eucb. c. 19. Danhauerus Hod. Obr. p. 1181.*

§. 12. Hæc vero Particula δευτερον uti semper aliquid demonstrat, quod in confesso positum est apud omnes, ita duplex ipsius in Propositionibus Singularibus Demonstrativis est usus. Vel enim de re singulari & unica usurpatur, & tunc ipsam rem demonstrat immediate, & parit definitionem, quam vocant Ideam, e. g. *boc est leo, boc est ursus, hoc est Rosmarinus*. Monstratur

tur



tur enim res una, quæ in sensus incurrit, & per sensum unum vel  
 plures cognoscitur, quæ certior & facilior descriptio in tota re-  
 rum natura dari nequit, *Judice Menzero*. Quando autem Par-  
 ticula Demonstrativa de rebus unitis adhibetur, tunc non parit  
 definitionem Idealem, sed efficit Propositionem Exhibitivam, de  
 qua hic loci agimus. Neque illud prætermittendum censeo,  
 Demonstrativam particulam in singulari numero usurpandam  
 esse, quia res unitæ habentur pro uno complexo; quæ omnia ob-  
 servat *B. Menzerus*. Denique & hoc notetur, Particulam hanc  
 συμπεπλεγμένην indicare quidem utramque rem Complexam, sed  
 unam tantum, eamque Principaliorem in casu recto, alteram ve-  
 ro in casu obliquo, ut perpetuæ veritatis sit hoc theorema: Re-  
 rum unitarum non potest una de altera in casu recto enunciari:  
 quod tamen cum ad resolutionem Propositionum Exhibitivarum  
 potissimum spectet, de eo infra paulo agemus prolixius. *Vid.*  
*Hundeshagen Tr. Log. disp. 3. §. 3. 18.* *Menzerus T. 2. opp. p. 501. 608.*  
*Bechmannus Annot. ad Hutt. p. 601* *Danhauerus Id. B. Int. p. 116.*

§. 13. Reliqua definitionis nostræ verba, in quibus asserimus,  
 in Prædicato exprimi tantum partem Principalem, & minus ob-  
 viam sensui, nulla plane laborant difficultate. Cum enim de-  
 monstratum hætenus sit, duas res unitas ad Exhibitivam Propo-  
 sitionem requiri, easque per Demonstrativum HOC denotari, ul-  
 tro constat, quod in his Enuntiationibus pars principalior, quæ-  
 que in sensus non incurrat, sit exprimenda. Si quidem superva-  
 caneum foret, illud etiam enuntiare, quod omnium conspectui  
 expositum est, & de quo nullum plane hæret dubium. Rem  
 exemplo satis vulgari illustrat *Hæpfnerus*: *Si porrecto cantbaro,*  
*ei, qui nescit inesse vinum, dicatur: Bibe, Hoc est vinum, in prædicato*  
*princeps tantum pars Subjecti illius exprimitur; cantbarus vero nequa-*  
*quam ab Exhibente nominatur, neque id est necessarium, quia ille, cui sit*  
*exhibitio, jam ante videt esse cantbarum.* *Vid. Hoepfnerus Comm. ad*  
*Vet. Log. p. 556. Isag. ad S. C. us. Tr. Pr. p. 337.* *Scharfius Inst. Log. p. 344.*

§. 14. Non tempero mihi, quin hæc omnia prolixè hætenus  
 disputata, unico Magnifici D. Musæi testimonio confirmem, qui  
 omnium rectissime de Propositionibus Exhibitivis sentit, & rem  
 admodum perspicue & veluti in nucleo tradit & exponit. Ita  
 vero differit: *Sciendum est, quod in Propositionibus Exhibitivis, in qui-*  
bus



bus subjecti loco Demonstrativum τῆτο vel HOC stat, subjectum non significat determinate illud, pro quo supponit, sed confuse tantum, cuius ratio propria explicari solet per Prædicatum. Unde quid particula τῆτο in id generis Propositionibus monstrat, aut pro quo supponat, semper discendum est ex Prædicato, juxta Regulam Logicorum: Talia sunt subjecta, qualia permittuntur a prædicatis; quæ tunc maxime locum habet, cum subjectum est ambiguum, vel ita comparatum, ut de se confusum saltem rei, pro qua supponit, conceptum importet, prædicatum autem tunc innuit, in subjecto id denotari per demonstrativum τῆτο, cui formalis ratio ejus, quod in Prædicato exprimitur, vere convenit. Id quod ostendunt exempla, v. g. quando porrecto cantbaro dico: Bibe, Hoc est vinum, particula HOC de se neque cantbarum neque vinum significat, quamvis utrumque tunc præsens sit, & vinum in cantbaro contineatur. Sed quando dico porrecto cantbaro, Hoc est Vinum, tunc ex prædicato intelligo demonstrativum Hoc confuse denotare non cantbarum ipsum, sed id quod continetur in cantbaro. Idem Judicandum est de aliis id genus Propositionibus. Quæ si ad Christi verba, Hoc est corpus meum, accommodentur, oppido patebit, Bellarmi- ni discursum plane lubricum esse. Nam si respicimus ad illud, de quo verba Institutionis agunt, tunc apparet, materiam Subjectam esse Symbola externa panem & vinum, & simul corpus & sanguinem Christi. Quando ergo porrecto Pane benedicto dixit Christus, vel hodie Sacerdos in persona Christi dicit, accipite, comedite, Hoc est corpus meum, tunc manifestum est, quod per particulam τῆτο non significetur determinate panis, nec etiam determinate Christi corpus, nec aliunde discere possum, pro quo particula τῆτο supponat, quam ex prædicato, quia autem Prædicatum est corpus Christi, dicit autem Christus: Hoc est corpus meum, ideo recte colligitur, particulam τῆτο supponi in hac propositione confuse, pro eo, quod in prædicato distincte exprimitur; nempe pro corpore Christi. Non autem necesse est, ut particula τῆτο supponi possit pro corpore Christi confuse, ut panis per consecrationem fuerit mutatus in corpus Christi. Sicut quando porrecto cantbaro dico Hoc est vinum ut particula Hoc pro vino supponere possit, non requiritur, ut cantbarus fuerit mutatus in vinum; sed sufficit, si corpus Christi sacramentaliter sic unitum cum pane porrecto, ut porrecto pane simul corpus Christi porrigatur ad edendum. Perinde sicut ad hujus Propositionis veritatem Hoc est vinum, sufficit, ut in cantbaro contineatur vinum, quando porrecto cantbaro dico: HOC est vinum, Vid. Musæus Coll. in Aa. conf. art. 10.

coll. diss. A. 43, misc. 35